



Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiæ & Iuris Canonici Doctoris |||
celeberrimi, ac Ecclesiæ Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

alteri domus de Aneholt, alteri de Zwarteborg inhaberet. Nec potuit facile res tanta intercipi, donec viri que fatigatis, qui impulerant, & euastatis agris, magistri coquinarum finem bello indicerent. Misera agricolarū conditio, qui primi & onera laboris & bellicā comotionis primi sentiunt incommoda. Sed hæc, quia in dominos redundant, intentantur.

CAPUT XXI.

Annus erat quartus post mille quadringētos, cùm Ericus dux Saxoniæ, qui sacer esset Alberti comitis de Holsatia, nonnihil simultatis haberet ad populum Thietmarsiæ. Præsumpta generi voluntate, cùm ille abesset, tacitus duxit per Holsatiam, inq[ue] aridam terræ illius mouens, prædam abegit: nonnullos captiuos abduxit, in sua reuersus. Thietarsi literis apud vicinos principes & vrbes questi, quod Holsatia comites non satis suo respondentes honori, nihil hostile de more renunciantes bella gerentium, permiserint ducem Saxoniæ Ericum per suam ditionem ire, & cum prædare dire: quod non longè diuersum sit ab inuadendo. Quid enim esse aliud fouere aduersarium, quam aduersa sentire? Eam rem indignè tulit Gerhardus dux Slesvici, fratrem increpans, quod tale aliquid permiserit: non enim verisimile videri, se ignorantे tale aliquid per dominium suum fieri. Albertus autem se fratri quam sancte iurando purgauit, nullius se eius operis fuisse conscientum. Dux ad hæc, Benè habet: Illæsa permanxit integritas nobis à maioribus optima hæreditate relicta: eā tuebimur & verbis, & rebus. Ilicò literis ad Thietmaros emissis grauiter increpauerunt temeritatē scribentium, quod honori dominorum non leuiter detraxerint, quod neq[ue] proprio pepercerint, oblii decoris etiam sui, men-

tientes



sientes apud vicinos principes & vrbes: Qua de re satisfactionem condignam se postulare. Ad principes autem & vrbes, purgandæ infamiaæ gratia, similes dedere. Ea amaritudo et si attentata sit aliquot vicibus per tractatus aboleri, deliniri, aut complacari, tam altè consedisse in cordibus ducis & comitis conspicta est, vt omnis conatus in aduersum frustraretur, nec vlla potuit ratione complanari. Multū ibi laborauerunt vicinarum vrbiuum oratores: sed omnia incassum, bellū voluēre Holsati, bellum excreuit. Animosi Holsatiæ militares impulerunt dominos suos, vt expedito agmine terrā ingressi, multam prædam abegerint, & ante oppidum Meldorp, in Delbrugge erexere præsidium, quod diū seruauerūt. Thietmar si hoc oppugnantes, sèpè suorum plurimis animis, sunt repulsi. Meldorp oppidum Holsati factō impetu capiūt: quo in prælio, aliquot militares militiæ cingulum, vt essent aurati equites, meruerunt: Sed nemo fuisse est in oppido, quod immunitum esset, pernoctare. Conglobati incolæ, deijcere præsidium sunt frustrà conatus ab Hanerow, Tileborg, S'wauestede, multis diū afflictionibus atteruntur. Albertus comes suorum expedito agmine duxit in Northamme, ibi q̄ multā prædam coegerit. Superuenière adunati magnis turmis incolæ: illo præculubid tempore agmen omne Holsatorum ad perniciem inclusuri: Sed increscens tum Eydora flumen, vallem impleuit, quæ locum illum & Heidam interiacet. Vnde factū, vt angusta tum semita Holsati abirent cum præda. Albertus autē comes cùm agmina cogeret, indignabundus, adacto calcaribus equo (nescio quid) properabat. Equus sublapsus præcipitem dat sessorem: ita armatum conquassauit, vt brevi finem faceret viuēdi, tumulatus in Itzeho.